



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Decollatio S. Joannes Bapt. 29. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Aug. 29. **VITÆ SANCTORUM**. 543

Se terrenos parentes tanto affectu diligimus, qui parvo tempore pro nobis sustinuerunt labores, nonne cœlestis pater magis amandus est, qui pro nobis crucifixus est? Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obsequium, ejus est beneficium. S. Aug. l. de salut. docum.

DECOLLATIO S. JOANNES BAPT.

29. Augusti.

Natalitas hoc die Herodes epulas dedit, quas rectius funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condivit. Nam cum ad reliquias mensa illecebras filia etiam accessisset, & saltu levicolo terram plausisset, ecce tibi præmium pedes caput maximi vatis **JOANNIS** abstulerunt. Nec satis erat, per mensam tam delicatum ferculum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Extraxit conjux adultera palato suo linguam (illam gratissimam suadæ sedem) & mille nunc convitiis, nunc acu mille locis fodit scelesta. Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis viva etiam crudelitatem Regis, quam tunc fuit locuta, & meritò deinde divinum *Verbum* loqui tyranno renuit, cuius vocē decollaverat. Ipsa saltatrix poenas si feras, serias certè luit, quādo astrictas gelu aquas transiens,

rupta

544 VITÆ SANCTORUM. 30. Aug.
ruptâ sub pedibus impiis glacie , abscindendum crustis caput dedit , etiam tunc
portentosum in modum subsiliens , &
choreas , quibus viva assueverat , mortua
etiam continuans , manifestum omnibus
mortalibus documentum , quām non
multo saltu opus sit , ut in orcum devolvamur . At dicet nonnemo : Ergone o-
diosam pede calcare terram non liceat ?
imò vero calcanda illa est , & pede utro-
que , sed graviore , & cui cælum , non
orcus arrideat . Ex Bar. & Martyrol.

*Si Ioannes tantus , Ioannes talis , tantâ
eremo separatus à feminis , feminarum pe-
ricula non evasit , quis est , qui inter femi-
nas vivens evasurum se sine labore maxi-
mo , maximâ sine cautione confidit , nisi
qui sancto alitur spiritu ? S. Chrysol.
ferm. 2. de Decoll. S. Ioann.*

S. BONONIUS ABB. 30. Augus*ti*.

Optima Philosophia pars est mortis
meditatio ; hæc BONONIUM puerum
mundo mori docuit , quā quidem
morte ad vitam nihil est salubrius . Hinc
Ægypti deserta petiit tantamque sanctio-
rum civium frequentiam invexit , ut in
solitudinem urbes , in urbes solitudinem
diceres migrasse . Ipse totam Ægyptum
concionabundus obibat , Christoque
longè plurimos jugebat , mercatores
præsertim , quibus tempestate aliquan-
do